

Mire sub commemoratione temporis sui defendit etiam causam P. Sesti, qui videtur similia fecisse, et proficit . . ., ut licuisse videatur vim vi repellere.

C. Caesar, qui a me nullo meo merito alienus esse debebat, inimicissimus meae saluti ab eodem dicebatur.

Haec omnia latentes que<rellae sunt Ciceronis de Pompeio et Cras>so et Caesare, quos non ambigitur partim manifestius, partim vero occultius id egisse, ut urbe
10 Tullius eiceretur. Sed ε . . ., quoniam viri potentes sunt, non audet exertius queri, sed ipsum Clodium talia de illis iactitasse confingit, ut, quod ex sua persona haberet offensam, sub aliena moderatius delitiscat.

Unum habere exercitum.

§ 40.

15 C. Caesarem, de quo iam dictum est.

Me vero non illius oratio, sed eorum taciturnitas movebat, in quos illa oratio conferebatur.

. . ., quid de Pompeio et Crasso et Caesare sentiat;
20 nam si hanc P. Clodi adseverationem non refutarunt, sine dubio auctores se fuisse ad exterminandum patria Ciceronem vel ipsa taciturnitate confessi sunt.

Acta prioris anni labefactari a praetoribus.

De actis loquitur, quae habuit in consulatu C. Caesar
25 inauspicato, ut videbatur, qua de re adversus eum egerant in senatu C. Memmius et L. Domitius praetores. Et ipsius Caesaris orationes contra hos extant, <quibus> et sua acta defendit et illos insectatur. Dat ergo causam C. Caesaris, ut videatur eapropter et Clodio tribuno et